



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 94. Alia pro Clero oratio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI. „rum inspectores adsint Regis jussu, &  
 A.C. 1561. „videant, ne quid inde Rex, aut Respu-  
 „blica detrimenti capiat. „ Postremo  
 instituit querelam de juridicis Magistra-  
 tibus, qui pecuniarum nundinationibus,  
 & non meritis ad honores provehuntur;  
 quapropter petiit, ut deinceps viri ab  
 avaritia alieni, pietate, morum probi-  
 tate, denique eruditione præditi præ-  
 stantissimo huic muneri nullo pretio  
 accepto a Rege præficiantur, atque eli-  
 gantur ea norma, quæ in comitiis Au-  
 relianensibus nuper Rege consentiente  
 stabilita est.

## §. XCIV.

*Alia pro Clero oratio.*

*Thuan. &  
 Mezer. l. c.*

**O**rator, qui sacrum Clericorum Ordi-  
 nem defendebat, modeste dilutis  
 omnibus, quas Joannes Britannus petu-  
 lantissime proferebat, acerbissimis calu-  
 mniis petiit, ut Rex ad suorum Præ-  
 decessorum exemplum, Ordinis Eccle-  
 siastici jura, privilegia, & dignitatem  
 tueri vellet, nec eorum, qui manus suas  
 in Sanctuarium sacrilege extendere  
 præsumunt, consilia sequeretur: cum  
 autem multa, quæ in sacri Ordinis de-  
 trimentum cedebant, fuissent proposita,  
 inter quæ haud infimum erat illud, vi  
 cujus ex beneficiis, si quingentas redi-  
 tuum libras haberent, quarta pars, si  
 vero

vero mille libras æquarent, tertia, si denique mille aureos excederent, media pars ærario Regis applicaretur, atque illis, qui ex suis beneficiis duodecim librarum millia pro annuis redditibus percipiunt, nonnisi tria millia ceteris omnibus Regi attributis relinquerentur, quinimo etiam Cartusianis, Cœlestinis, Mathurinis, Minimis, cunctisque Monachis (\*) omnes redditus, qui ipsorum alimenti necessitatem superant, adimerentur: ac præterea omnia prædia, exceptis præcipuis castellis, & ædibus, in quibus Episcopus, & Canonici sua domicilia habent, venundarentur: hinc Clerus, ut funestos tantæ rapacitatis successus præverteret, Regi ultro quatuor decimas quotannis in sexennium obtulit, ac declaravit, quod Ordo Ecclesiasticus non minus, quam ceteri Regni Ordines ad sublevandas Regni necessitates, atque ad solvendum, quod Senatus regius contraxit, æs alienum opes suas conferre paratus sit.

§. XCV.

*Reginæ epistola ad Papam circa Pisciacense colloquium.*

Cum Regina fuisset interim edocta, quod summus Pontifex Pisciacensis, Thuan. l. c. Sarpus hist. Conc. Trid. seu l. 5. p. 433.

(\*) Thuanus l. c. habet: *Monialibus.*

Sæc. XVI.  
A. C. 1561.